



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 44. Clades rebellium

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. creta hæc consilia Comes, Ducissa penitus rerum ignara, cum suis amicis cudebat.
 A.C. 1486.

§. XLIII.

Auxiliares copice a Ducissa Hibernis suppeditatæ.

Bacon. hist. regn. Henr. VII. Polyd. Virg. hist. Angl. lib. 26. Duchesn. hist. Angl. l. 19. Igitur Ducissa Suffolciæ Duci duo Germanorum millia suppeditat, omnes milites veteranos, belloque exercitatisimos, qui sub imperio Martini Sowart Belliducis rei militaris scientia præstantissimi Hiberniam peterent. Horum adventu Lamberti & Factiosorum partes, viresque non solum numero, sed & animo adeo potenter excreverant, ut communi consilio mare trajicere, & usque ad Eboracensem Provinciam longius procedere decernerent, totius interea exercitus imperio Lincolnensi Comiti demandato. Henricus comperta rebellium exscensione Nottinghamiam contendit, atque anno sequenti millesimo quadringentesimo octogesimo septimo ipse copias suas in quodam aperto campo prope Nevarcam in aciem collocat.

§. XLIV.

Clades rebellium.

Jamjam uterque exercitus in conspectu erat, conferuntur manus, & tertiam ferme

ferme horam ancipiti Marte pugnatur, donec tandem victoriæ summa penes Henricum Regem staret, rebellibus cæsis fugatisque, ac quinque suorum Ducum desideratis. Ipse quoque Richardus & Lambertus vivi traditi sunt manibus Victoris, qui eorum vitæ pepercit, ut diuturniori horum poena ceteris vindicis justitiæ documentum præberet; Presbyter enim in vincula coniectus longo incogniti cujusdam carceris squalore contabuit; Lamberto autem adolescenti Rex vitæ gratiam fecit, non tam clementiæ sensu commotus, quam improbæ prudentiæ præceptis instigatus; quippe personatum hunc Comitem adegit, ut transfixam veru carnem ad focum in culina regia versaret, ut subditis suis eorum credulitatem identidem acerbo hoc facto exprobraret, cum fanaticum illorum Regem tam sordidæ arti mancipatum cernerent. Nihilominus post evolutum quoddam temporis spatium a tam vili munere liberatus, accipitrum curæ addictus est, hocque pacto omnes regios honores & insignia arcto nimis compendio circumscribere cogebatur.

Sæcul. XV.
A. C. 1486.

Larvey hist.
Angl. tom. I.
Henr. VII.

§. XLV.

Pax cum Pontifice sancita a Ferdinando violata.

Quamquam Ferdinandus Neapolis Rex
U 3 pacem